

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1766**

**VD18 90118251**

§. 45. Dilationes ac decreta interposita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

Sæcul. XIV.  
A.C. 1310.

§. XLV.

*Dilatationes ac decretal interposita.*

**E**t si Papa Clemens partibus initium Au-  
gusti præfinierat, non video tamen  
illum eis aures præbuuisse nisi die Martis  
decimo Novembris; ac etiam tuum eos  
solum ampliasse ad proximum diem Ve-  
neris. Quo die Guilielmus Nogaretus  
conquerebatur Bonifacii defensores plu-  
ra protulisse contra honorem & famam  
Regis Domini sui. Papa significabat in  
hoc improbare, auditurum omnia, quæ  
Nogaretus Regis existimationem tueri  
di causa vellet proponere. Postea rem  
in aliud aliudque tempus extraxit usque  
ad diem Martis 22am Decembris; qua-  
eam iterum prolatavit in diem primam  
post quartam jejuniij verbi domini  
nempe 21 Martii anni 1311. Sic di-  
turna hæc actio coram Papa traduceba-  
tur dilatationibus, interpositis decretis,  
& prolusionibus; nec per ventum est ad  
causæ viscera. Erant meræ exceptions,  
præscriptiones, ut vocant, ac reclama-  
tiones iteratæ quolibet litis die: par-  
tes nec de qualitatibus suis, nec de Judi-  
cis potestate legitima consentiebant: ne  
verbum quidem proferebant, quod non  
constringerent, aut temperarent: quo-  
tiescumque faciebant gradum, timebant

p. 502.

p. 503.

p. 522.

ne fallerentur, & adversariis quidquam <sup>Sæcul. XIV.</sup>  
concederent. Hoc est exemplum me- <sup>A.C. 1310.</sup>  
morabile subdolarum litigandi artium,  
quæ tunc regnabant.

## §. XLVI.

*Creantur Cardinales.*

Mense Decembri an. 1310 die sabbati,  
qua trimestris ecclesiastici jejunium  
colebatur, 19 mensis Papa Clemens  
Cardinales iterum declaravit, & quidem  
quinque numero. Primus erat Arnal- <sup>Rayn. n. 47.</sup>  
dus Feugerius Archiepiscopus Arelaten- <sup>Baluz. vit. I.</sup>  
sis, quem fecit Sabinensem Episcopum. <sup>p. 73. 657.</sup>  
Alter fuit Bertrandus Desbordius Epis-  
copus Albigensis Papæ cubiculis præ-  
fectus; qui ab eo nominatus est Cardi-  
nalis Presbyter de SS. Joanne ac Pau-  
lo: sed obiit anno proximo mense Se-  
ptembri. Tertius, Arnaldus de Novo ex  
Ordine Cisterciensi Fontis Frigidi Abbas,  
ac Ecclesiæ Romanæ Pro-Cancellarius,  
Cardinalis Presbyter de S. Prisca. Quar-  
tus, Raymundus Fargius Papæ nepos,  
Cardinalis Diaconus de S. Maria Nova.  
Quintus, Bernardus Garvius Liberaten-  
sis Cardinalis Diaconus de S. Agatha.  
Papam itidem sanguine contingebat: &  
hi duo non tum erant Hypodiaconi  
consecrati, cum fierent Cardinales: id

Y y 5      quod

p. 665.